



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1572 usque ad annum 1581

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1772**

**VD18 90118642**

§. 74. Regis responsum ad hæc Ordinum postulata.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67232)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1576.

Alterâ die post inchoata comitia Deputati edito decreto sanxerunt, ut Rex ad negotia juxta cujuslibet votum eo citius expedienda quosdam Judices daret Ordinibus minime suspectos, hisque duodecim Delegatos adjungeret, qui de omnibus, quæ tribus Ordinibus vel conjunctim, vel separatim proponerentur, cognoscerent, ac decidendi facultatem haberent, ea tamen lege, ut quicquid illi judices unacum ordinum delegatis decernerent, firmum, ratumque esset, & legis vim obtineret, necnon impostero integra fide servaretur, quin ullus repugnare, vel eorum decisiones revocare valeret.

§. LXXV.

*Regis responsum ad hæc Ordinum postulata.*

*Avila l. c.*

Attamen Rex, quamvis hæc petitio parum condecens esset, nihilominus moderate hæc respondit: „quotiescunque Ordines quicquam proponent, vel petitori sunt, simul etiam duodecim Deputati, quos nominare vobis integrum erit, confestim excipientur, ac demum rebus omnibus in meo Senatu discussis respondere haud cunctabor, omnibusque, quæ ad cujuslibet sententiam conferre poterunt, prospecturus sum: ut autem omnibus satisfiat, ad

„ad comitia illos etiam vocabo, ex qui-  
 „bus meus Senatus constat, quatenus  
 „& hi de Ministrorum dotibus cogno-  
 „scere possint: ego vero juxta eorum  
 „consilia decisiones feram, illud tamen,  
 „quod alii præter me decernunt, tan-  
 „quam firmam legem acceptare ne-  
 „queo.„ Ex hoc Regis responso Ordines  
 haud obscure intellexerant, quod  
 detecto petitionis suæ consilio nunquam  
 finem intentum assecuturi essent, qua-  
 propter opem in alio molimine quære-  
 bant, proponentes, præprimis deci-  
 dendum esse, an alia Religio præter Ca-  
 tholicam in Regno toleranda foret.

## §. LXXVI.

*Rex fœderis caput sese declarans.*

Sub idem tempus Protestantes Davi-  
 dis Advocati libellum ad Papam de-  
 latum, cujus supra meminimus, publici  
 juris fecerant, illoque perlecto Rex tan-  
 dem clandestina novi fœderis consilia  
 subolere cæperat, ratus, quod fœde-  
 rati sub specioso Religionis bonum pro-  
 curandi obtentu re ipsa legitimam aucto-  
 ritatem sensim deprimere, ac supremam  
 potestatem in alium transferre medita-  
 rentur: quapropter ex illo temporis  
 articulo hanc factionem, quam penitus  
 eliminare, ejusque consilia evertere  
 haud poterat, saltem labefactare de-

Sæcul. XVI.  
 A.C. 1576.

Thuan. l. 63.  
 Mezeray  
 abreg. t. 5.  
 pag. 353.  
 Spond. n. 8.